28643/P

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

VALETVDINE SALIS COCTORVM

QVAM

FAVENTE DIVINI NVMINIS CLEMENTIA

AVCTORITATE

GRATIOSAE

FACVLTATIS MEDICAE

IN

INCLYTA NORIMBERGENSIVM VNIVERSITATE ALTORFINA

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA MORE MAIORVM LEGITIME CONSEQVENDI

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

A. D. IV MAII MDCCXXXI.

SVBIICIET

DAVID FRANCISCVS HEZEL

HALA-SVEVVS

ALTDORFII

LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

SACRI ROM. IMP. LIBERAE REIPVBLICAE
SVEVO-HALENSIS

VIRIS

ILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS, EXCELLENTISSIMIS, CONSVLTISSIMIS, AMPLISSIMIS PRVDENTISSIMIS

DOMINIS
CONSVLIBVS
QVINQVEVIRIS
CONSILIARIIS

ET

SENATVI INCLYTO

PATRVM CONSCRIPTORVM
ORDINI SPLENDIDISSIMO

DOMINIS MEIS PERQVAM GRATIOSIS
PATRONIS ET PROMOTORIBVS
SVBMISSE VENERANDIS

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM MEDICAM
IN PERPETVAM MENTIS OBSEQVIOSISSIMAE
SIGNIFICATIONEM

EA QVA DECET OBSERVANTIA

CONSECRAT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR HVMILLIMVS

DAVID FRANCISCVS HEZEL.

LIBRARY

28643/P

Q. F. F. Q. S.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE VALETUDINE SALIS COCTORUM.

V*Eriſſimum eſſe Domini ac Servatoris noſtri dictum* Luc. XIV. 34. ΚΑΛΟΝ ΤΟ ΑΛΑΣ, Bonum eſt Sal: *Totius humani generis conſenſu usque adeo comprobatum eſt, ut vix ullam gentem inveniri poſſe exiſtimem, quæ Sale omnino aut carere velit aut poſſit. Longum & à ſcopo meo nimis remotum eſſet, ſi beneficium illud inſigne, quod ſummum numen creaturis ſuis ſalem ſuppeditando exhibuit, exponere deberem: neque finem facile inventurus mihi videor, ſi de ſolo homine edicere vellem, quantum ille à Sale adjuvetur; ſive uſum in re familiari ſpectes, ſive præſtantiſſimas utilitates, quæ in medicina facienda hinc proficiſcuntur, conſideres; ſive demum expendendum eſſet, quantum intimioris chymiæ profeſſores, rerumque naturalium principia profundius rimati, de ſale promittant, & quodam modo oſtendant. Hæc nunc aliis omnino permittens, Deum quidem gratus veneror, qui dulciſſimæ Patriæ meæ tantum theſaurum abunde conceſſit & per tot ſæculorum decurſum benigniſſime conſer-*

conſervavit : utque porro beneficium nobis ſuum proprium & perenne faciat, ex animo precor. Quumque abſoluto nunc temporis ſpacio, quod mihi academicæ vitæ uſum indulſit, de reditu in patriam cogitandum ſit ; neque tamen ſine publico diligentiæ & profectuum teſtimonio redeundum mihi cenſerem : Statui tandem, approbante & jubente Gratioſo Medicorum Ordine, pro inaugurali ſpecimine illud proponere, quod ex titulo patet. Cur vero hoc potiſſimum delegerim, paucis, in hoc quaſi limine, exponam. Legeram apud doctisſimum RAMAZZINVM, *virum quem ipſimet Itali tamquam ſuæ gentis decus oſtendunt, in pulcerrimo opuſculo, quod* de morbis artificum *inſcripſit, quot morbis ſubjacere homines ſali conficiendo deditos obſervaverit. Mirabar nihil ejusmodi in patria mea contingere, curioſeque inquirebam, quæ eſſet hominum rei ſalinatoriæ in Germania conſecratorum conditio. Inveniebam tandem non operis, quod agitant, ſalis coctores, vitio, ſed, quod &* RAMAZZINVS *haud obſcure innuit, regionis, & ipſius rem peragendi methodi indole, accidere, ut ſuis, de quibus ſcribit, hæc res tantopere detrimento ſanitatis cedat. Celebro itaque tanto magis benigniſſimi Numinis Clementiam, quæ dulciſſimæ Patriæ meæ, ſalſugine ad Cocharum gaudenti, & omnibus, quantum reſcire licuit, Germaniæ officinis ſalinatoriis, illam præ aliis elargita eſt prærogativam, ut beneficio ſuo impune potiri liceat, neque paſſa eſt, ut iſtis ſimiles videamur, quibus, quemadmodum fabula eſt, Pandoræ pyxis, haud lætis rebus ſuis, quondam obtigit. Placuit igitur diſpicere, quantum ſalis coctioni in patria mea, & reliqua Germania, ubi ſimilis eſt hujus negotii conditio, dedicatis & conſecratis hominibus immineat valetudinis periculum : ut, cognito quam exiguum & facile ſuperabile illud ſit, eo magis devoti ſummum Numen celebremus, tantoque ejus beneficio læti & alacres perfruamur.*

§ I. De

§. I.

De valetudine eorum, qui ſalis coctura operam ſuam addixerunt, hoc inaugurali ſpecimine dicturi, ante omnia in hoc quaſi limine tractationis noſtræ exponemus, quales intellectos in tota hac diatribe cupiamus homines. Nam quum ſalis nomen apud chymicæ rei ſcriptores late pateat, & cuivis terræ ſubtili, in aqua ſolubili & in ſalinam cryſtallinamque formam rurſus coagulabili, tribuatur; cujusmodi in minerali, vegetabili, animalique regno plura occurrunt: nos quidem nunc de ſola iſta ſpecie ſalis, quæ nomen illud, ob univerſaliſſimum & latiſſime patentem uſum, κατ᾽ἐξοχὴν gerit, intelligi cupimus. Vocatur illud *Sal commune*, aut *culinare*, quoniam communiſſimo mortalium uſu ad edulia, ſive condienda pro gratiori ſapore, ſive ad longiorem durationem aptanda, potiſſimum expetitur & pro maxima parte conſumitur.

§. II.

Illud vero ſal diverſo modo comparant, & ad promtum uſum ſibi procurant, mortales. Alibi enim, ut in Tartaria, Polonia, Hungaria, pluribusque regionibus, ex terræ viſceribus eruitur, quod *ſalis foſſilis* nomine indigitare ſolemus, cujus puriſſima & pellucida ſpecies, quæ nulla alia præparatione, niſi comminutione, opus habet, *ſal gemmæ* vocari conſuevit. Atque hoc foſſili ſale magna pars hominum contenta vivit, felix hoc nomine, quod optimo condimento exiguo labore & ſumtu potitur. Alii ſalis proventum mari alluenti debent, ex quo aqua per incilia quædam in certarum fovearum, certa lege paratarum, areas immittitur, ibidemque ſolis calore, exhalata humiditate, denſatur: de quo legi

 mere-

meretur diligentiſſimus auctor GEORG. AGRICOLA *de re metallica libr. XII.* Atque hac ratione maris mediterranei accolæ, ut & Luſitani ac Galli circa Rupellam ac Broagium, ſale potiuntur, quo non ſolum ſuæ patriæ proſpiciunt, verum etiam aliis regionibus, multarum navium onera quotannis divenditis, ſuccurunt. Hoc *ſal marinum* vocare conſuevimus. Quanquam non ignoro aliquibus etiam locis marinam aquam ignis ſuppoſiti beneficio excoqui; quod apud Normannos Gallos fieri teſtatur NICOL. LEMERY *in dictionar. ſimplic. mat. med.* ſub titulo *ſal marinum*: alibi etiam, ut de inſulis Moluccis teſtatur BARCHEVVIZ, rupibus, earumque cavernulis, vel ab arte vel natura factis, aquam fluctuum marinorum agitatione inſperſam, ibi ſubſiſtere, denſatamque in ſalem ſiccum ad uſus peti.

§. III.

Illis autem locis & regionibus, quæ a mari longius diſtant, divini numinis clementia fontes elargita eſt ſale imbutos, e quibus foci calore, ſenſim exhalata humiditate, ſal albus cryſtallinus, ſiccus acquiritur, qui in Germaniæ mediterraneo tractu, & vicina Lotharingia, agroque Italiæ Placentino, potiſſimum excoquitur. Primam apud nos celebritatem, ut alios minus notos prætercam, conſequuti ſunt fontes *Halæ Saxonum*, quibus plures in Ducatu Magdeburgico ſuccenturiantur, *Lunæburgenſes*, Bavarici *Reichenhallenſes*, *Salisburgenſes*, *Hallenſes* ad Cocharum, & in Thuringia *Franckenhuſani*, in Haſſia *Allendorfenſes*: quibus certo modo accenſeri meretur *Tirolenſis* ſalſugo, quæ *Halæ ad Oenum* excoquitur, & non quidem, veluti prius enarrati fontes, e terra ſcaturit, ſed ex ſale foſſili impuriori, in cuniculos ſubterraneos immiſſa aqua dulci, educitur: quæ, quando ſaturata deprehenditur, ad officinas ſalinatorias excoquenda per canales

les dimittitur. His tot diverſis locis unum eundemque, per omnes ac ſingulas circumſtantias, ſalem excoquendi morem teneri haud dixerim: immo certo ſcio, quod alibi hæc, alia alibi compendia quærantur & in uſum vocentur: illud tamen certum eſt, quod ubique hæc via ſit neceſſaria, ut ſalſugo certa cautione depuretur ac deſpumetur: deinde blando moderatoque igne diſſipata humiditate ſal ſiccum & durabile procuretur.

§. IV.

Atque hic ſane labor multa habet, quæ non niſi ab homine longo uſu edocto, vel tempeſtive, vel legitime, fieri poſſunt; ſi vero vel negligantur, vel imperite fiant, notabile damnum dominis inferre, & ſali parato deteriorem notam affricare poſſunt. Propterea in ſalinis recte inſtitutis homines aluntur, qui artem hanc ab ipſa pueritia tractando addiſcunt, omniaque, quæ eo pertinent, obire ac perficere debent. Hique vel *ſalinatores*, vel, quod nobis magis placet, *ſalis coctores*, appellantur, germanice Saltzſieder, Halæ autem Saxonum peculiariter Hallorum itemque Halleute vocantur. Et quamquam inter ipſos hos homines tantum iſti, qui totius artis magiſtri ſunt, coctioni, tamquam præcipuo actui proprie præſunt; licebit tamen illos etiam, qui officinis ſalinatoriis quocunque modo inſerviunt, ſive ſalſuginem ex fontibus extrahant, ſive ad ſalinatorias officinas deferant, ſive magiſtro ad opus ſuum alio quocunque modo ſubminiſtrent, ſub nomine ſaliscoctorum hic complecti. Atque ſic credo omnes intellecturos eſſe quinam hi ſint homines, de quorum valetudine quæſituri ſumus.

§. V.

Quando autem valetudinem ſaliscoctorum conſiderare promi-

promiſimus, id voluimus ſignificare, nos quæſituros eſſe, utrum illud vitæ genus περιςατικὸν, cui iſtiusmodi homines addicti ſunt, conſervandæ rectæ integræque valetudini aptum ſit, aut prorſus præſidia quædam notabilia conſervandæ, emendandæ & roborandæ illi adferat? an ex ſe & ſua natura ſic comparatum ſit, ut rectam valetudinem affligat, illamque neceſſario peſſundet? aut tantum e longinquo corpora quædam ſuſcipiendis fovendisque certis morbis idonea reddat?

§. VI.

Quum vero hæc quæſtio dijudicari nequeat, niſi ab illo, qui cognitum & perſpectum habet quo vitæ genere ſalis coctores utantur; ſtudebo illud ſuccincta deſcriptione quadam ita adumbrare, quemadmodum illis in patria mea, &, quantum reſcire licuit, aliorum etiam locorum, ſalis coctoribus, convenit. Sunt vero homines liberi, inſignibus privilegiis paſſim gaudentes, & mercedem, quæ vitæ cum familia honeſte ſuſtentandæ ſufficiat, merentes, pro qua tenentur in caſis ſalinatoriis, aut ad fontes ſalſuginem præbentes, certo & legibus conſtituto tempore præſto eſſe, & labores illos obire, qui ſali excoquendo, ſiccando & exportando impendi debent. Neque tamen illud negotium continenter fervet, ſed pro eo, ac vel multum ſalis ab emtoribus avehitur, vel parum expetitur, vel plures vel pauciores dies a magiſtratu, ad hanc curam conſtituto, edicuntur, aliquando per integram hebdomadem, & plures, feriæ interponuntur. Ubi autem ſemel focus incenſus fuit labor decoquendi per dies illos, quotquot magiſtratus edixit, in omnibus ac ſingulis caſis continuo urgetur, donec penſum abſolutum ſit, quo facto focus extinguitur. Ut vero continuus iſte labor tolerari poſſit, quisque magiſter tot ſibi miniſtros adjungit, quot opus eſſe judicat, inque eo plerumque ſuorum filiorum, ſæpe etiam uxoris

ris & filiarum opera ſic utitur, ut, dum feſſi ab opere requieſcunt, novi in illorum locum ſurrogentur. Caſæ, ubi ſal decoquitur, ita exſtructæ ſunt, ut fumum quidem & vapores commode emittant, calorem autem a foco retineant, quippe quo maxime ad plene exſiccandum ſalem jam excoctum opus eſt: eodemque fine libero aëri acceſſus præcludi debet. Sunt tamen ita conſtructæ, ut non omnibus caſæ locis calor ex æquo percipiatur; ſed aliquæ ejus partes tam temperatum illum habeant, ut hyberno tempore frigoris evitandi cauſa ad focum propius accedere debeant: quum alibi tantus calor ſit, qui cum quovis Laconico conferri, vicemque ejus præſtare poſſit. Qui ad cortinam (ita, præeunte AGRICOLA, voco lebetem illum, in quo ſalſugo decoquitur) ſtare debent, ut vel primo fervere incipientem deſpument, vel jam in grumos & cryſtallos abeuntem ſpathis ligneis verſent, vel ſatis denſatam batillis eximant, inque corbes injiciant, calorem eumque humidum ſatis ſentiunt, atque propterea corpore ſeminudo, & leviſſime cetera veſtito, adſtant, eodemque habitu, ſi res ita ferat, ſæpe extra caſam, æſtivo præſertim tempore, progrediuntur. Dum negotium fervet, magiſter pleraque ſtando peragere debet: qui vero ipſi miniſtrant, aquam ex puteo in cortinam derivando, lignis findendis, & foco ſubmittendis, corbibus ſale recens impletis auferendis, idque genus aliis laboribus, varie occupantur. Atque hæc fere ſunt, quæ in caſis ſeu officinis fieri a ſalis coctoribus, ſtrictiori vocis acceptione dictis, debent.

§. VII.

Supereſt ut his tantiſper relictis extra caſam progrediamur ad fontes, viſuri illos, qui ſalis coquendi laborem adjuvare debent, ſalſuginem extrahendo, effundendo, & quod paſſim fit, admetiendo, modulos ea repletos, perticæ longæ

appenſos, ad caſas deferendo, ut in puteos ſingulis adjunctos infundant: ut & iſtos, quibus demandatum eſt, currus & alia vehiculorum genera, quibus ſal exportatur, commode & ex arte recipiendo & ſervando illi aptare, aptatosque onerare illa copia, quam emtores deſiderant, aut quam capere maximam poſſint. Horum illi priores, quibus horis ad fontem vocati adſunt, ſatis durum laborem perferre coguntur, eumque ad liberum fere aërem: ſed interquieſcendi juſta tempora habent: poſteriores vero, ut non certo tempore adſunt ſed aurigis & emptoribus inſervire debent, ita nec adeo gravi aut moleſto labore detinentur.

§. VIII.

Quo tempore ab ordinariis laboribus, ſive in caſis, ſive foris ad fontes obeundis, feriari licet, pro ſuarum quisque rerum ſtatu, rem familiarem curat, aut tempori fallendo aliquid agitat. Sunt qui hortos aut vineas ſuas colunt, alii, ſed pauci, artem aliquam exercent, ut a certis hominibus accepi eſſe inter illos Halæ Saxonum, qui aurum & argentum in bracteas tenuiſſimas agunt: alii denique piſcatui & aucupio inhiant. Corpus crebro lavant, & natationi a teneris unguiculis plerique adſueſcunt & delectantur, inque ea ſuper reliquos plerumque exercitati ſunt. Corpori etiam durando & firmando a prima ætate ſtudent: ii utique, qui proprie ſalis coctores ſunt, & liberos ad vitæ idem genus deſtinaverunt, quos, ut in Saxonia, a pueritia capite raſo & plerumque nudo, reliquo etiam corpore leviter & perfunctorie tecto, diſcurrere permittunt, neque valde prohibent, ſi totis diebus ad fluvium conſidere, lavare & natare velint. Quin videas Halæ Saxonum parentes, qui puſiones ſuos brachiis complexi, ab altis pontibus in gurgitem profluentis fluvii ſeſe præcipitant, diuque ſub undis verſati tandem una

cum

cum ipſis emergunt. Hæc inter ſani & vegeti, plerumque etiam venuſti, adoleſcunt & corpora nanciſcuntur illum a veteribus toties laudatum habitum referentia, non arvina putri pigraque onuſtum, toroſum tamen, vivacem, vegetum & robuſtum. Confirmat hoc Illuſtris Senex D. D. FRID. HOFFMANNUS *deſcriptionis Salinarum Halenſium in Saxonia* pag. 42. ubi diſerte ſcribit: es ſind die meiſten Hallorum an ſich ſelbſten ſtarcke, friſche und geſunde Leute.

§. VIIII.

Sufficiant hæc de vitæ genere illorum hominum, qui Sali coquendo in Germania noſtra operam navant. Longe infeliciores ſunt illi, qui in Italica urbe *Cervia*, ad maris Adriatici litus poſita, ſalem ex aqua marina conficiunt: de quorum conditione miſerrima ex BERN. RAMAZZINI pulcerrimo libro *de morb. artific. cap. XXXI.* hæc repetam. *Ex litteris a Medico in ipſa civitate Cerviæ medicinam faciente ſcriptis, ſcire licuit, in illa civitate, ac illius ſalinis, aërem ſpiritibus corroſivis eſſe adeo ſaturatum, ut ferrum arrodat, quod paulatim, ceræ ad inſtar, emolleſcit, ac in pulverem fatiſcit. Operarios vero omnes cachecticos eſſe, hydropicos, & ſordidas plagas in cruribus geſtare. Eosdem quoque ſumme voraces eſſe & bibaces, ut numquam ſaturentur: hinc perſæpe in iis operariis repentinos interitus contingere; modum illos curandi varium inibi eſſe, prout varii ac diverſi medici eo ſunt crebro conducti; perexiguum tandem eſſe remediis locum, in acutis ſaltem, qui ſoporoſos affectus ſemper comites habent: idque propter ſalis copiam. -- -- Credibile eſt magnam ſpiritus ſalis copiam elevari, qui totum aërem illum ad ſaturitatem acido corroſivo impleat, ut martem arrodat, nec non in operariis illis ſanguinis indolem, quæ dulcis & benigna eſſe debet, ad ſummum acorem diſponat; hinc poſtea cachexiæ, hydropes, cru-*

rum ulcera , quæ ex ſui natura a luxuriante acido foventur, ortum habeant. Atque hæc, de cauſa tam malæ valetudinis in ſolum ſalis ſpiritum, quem una cum aëre inſpirato operarii combibunt, dicta, doctiſſimo RAMAZZINO merito diſplicent, qui culpam potius in aëris, alioquin ibi parum ſalubris, & paludum noxiis exhalationibus inquinati, malignitatem potiſſimum refert: neque tamen omnino *inſitias ire cupit, quin opificium hujusmodi operariis ſuis non ſit ad modum infeſtum;* illumque acidum ſpiritum ſalis, de quo antea dictum eſt, revera aëri communicari illis locis, ubi ſal vel paratur vel copioſe aſſervatur, ſerio exiſtimat.

§. X.

Videbimus itaque an cum recta ratione credi poſſit ſpiritum acidum ſalis corroſivum, qui metalla diſſolvere valet, ex muria ſalina, ſive ad liberum aërem, per ſolis calorem inſpiſſata, ſive igne foci decocta, produci & in auram propelli poſſe? Enim vero ſi conſideramus quanto igne opus ſit, ſi ex ſale prius decrepitato, & argillæ dupla portione permixto, ſpiritum expellere cupimus, quamque notabiles circumſtantiæ concurrant, quæ nos convincant ex ſale humiditate ſua adhuc prædito, ſpiritum elici non poſſe: vix induci poterimus, ut ulla ratione ſuſpicemur, a tam blando calore ſpiritum ſalis acidum poſſe in aërem propelli. Novimus quidem, Glauberiana methodo, ex ſale communi, etiam non decrepitato, blandiſſimo calore parari poſſe ſpiritum ſalis volatilem, acerrimum & concentratiſſimum: ſed ipſius illius proceſſus rationes cogitando, neutiquam aſſequimur, unde in ſalis communis præparatione, ſive ex aqua marina per ſolis calorem, ſive ex ſalſugine per ignem foci fiat, accedere poſſit acidiſſimum illud vitriolicum oleum ponderoſiſſimum, ad ſpiritum illum omnino neceſſarium, quod non niſi extrema tortura

ignis

ignis impetrare, niſi me omnia fallunt, chymia ad hunc usque diem docuit. Et, ſi omnino urgere aliquis velit acidum aliquod catholicum, quod in aëre oberret: illud tamen nitroſæ, non vitriolicæ, indolis eſſe novimus: usque adeo ut ſali marino characterem nitri quodam modo ſuperaddidiſſe quidem inventum ſit, numquam autem, quod legere vel audire meminerim, vitriolica ſua explicita indole ſeſe in hoc ſale manifeſtaverit.

§. XI.

At vero regeri mihi poſſe video, fruſtra de ſpiritus hujus acidi præſentia dubitari, ubi is ſe ſua efficacia manifeſtiſſime prodit. Scilicet annotatum eſt in ipſa prædicta urbe, quod aër ferrum arrodat, ut paulatim, ceræ ad inſtar emolleſcat, ac in pulverem fatiſcat. Enimvero quemadmodum illud, ceræ ad inſtar emolleſcere, non ſine tropo multiplici intelligi poteſt, ut cum fatiſcentia in pulverem tandem ſine repugnantia conciliari poſſit: ita res tota eo tandem redit, quod ferramenta illis locis, ubi multum humiditatis aëri continuo committitur, & ad ferrum, tanquam ordinarie frigoris magis capax & tenax, colligitur, illud rubigine celerius fortiusque conſumat, quam alio loco, ubi humiditas minus frequenter & copioſe, immo perpetuo, ipſi allabitur & inhæret. Atque in eo negotio plane non opus eſſe, ut ab acido minerali quocunque ſpiritu illam in rubiginem ferri totius fatiſcentiam ſucceſſivam derivemus, quotidianis experimentis palam fieri poteſt: quippe facillimum eſt magnam ferri quantitatem, non alio adminiculo quam humiditatis aqueæ ſimplicis & caloris, rubigine intra breve tempus conficere, ut & digitis, ſi opus ſit, comminui in tenuiſſimum pulverem poſſit.

§. XII.

Sed erunt fortaſſe, qui alio adverſus me pugnent experimen-

rimento, ſcilicet diu compertum eſſe, quod illa reſidua a deſtillatione ſpirituum acidorum mineralium, quæ chymicorum filii capita mortua dicere adſueverunt, ſi aëri libero aliquanto tempore expoſita jaceant, ex communi & catholico fluido macrocoſmico iterum colligant materiam, quæ novo ſpiritui per deſtillationem præbendo ſufficiat: adeoque magnetis alicujus inſtar ſeſe habeant, qui particulas, quarum capaces ſunt, ad ſe attrahant. Atque proinde minime abſurdum videri, ſi quis afferat, ſalem communem, ubicunque magna copia præſto ſit, ad ſe attrahere, & circa ſe illas potiſſimum aërei catholici fluidi particulas detinere, quæ ſpiritui ſalis proximæ, & cum ejus natura convenientes ſunt, ſeque niſi terra ipſius jam obſaturata eſſet, cum illa conjunctæ eſſent. Enim vero exiſtimandum eſt illud fluidum minime concentratum & explicitum ferri: neque adhæreſcere & inhærere niſi terræ ſibi convenienti, &, ſi ita liceat dicere, expetitæ. Alias enim concipi non poſſet, quo pacto fiat ut in fodinis Polonicis, prorſus admirandis, de quibus EDVARDVS BROWN Anglus *in Itinerario ſuo* ſcripſit, aliquot centeni homines per multos continuos dies & noctes impune, tamquam in juſtis pagis ſubterraneis, vivant & operentur, atque tamen valetudinem firmam, vegetam, & habitum corporis laudabilem, conſervent: quum in ſale, tamquam ſplendidiſſimis atque ampliſſimis palatiis, habitent: ubi aër non poteſt non exhalationibus ſalinis, illoque ſpiritu catholico, quem ſupponunt, eſſe repletiſſimus: præſertim quum ſalem omnino renaſci ibi, & ſemel effoſſa ſpacia annorum aliquot decurſu notabiliter anguſtari, perpetua fama ſit, quam etiam experientia certa, ut *Miſcellan. Nat. Cur. Dec. II. Ann. IV. obſ. 23.* de Tirolenſibus fodinis cognoſcere licet, ſatis confirmavit.

§. XIII. Tan-

§. XIII.

Tantum igitur abeſt ut ſpiritum illum adeo nocentem vel in ſalis præparatione & excoctione, vel circa jam præparatum & excoctum, aut a natura in locis ſubterraneis coactum & repoſitum, agnoſcamus; aut inde valetudini eorum, qui ſale occupantur, quicquam metuamus; ut eundem, ſi non ſaluberrimum & ſalutis promum condum cum aliis decantare velimus, tamen prorſus innoxium & indifferentem agnoſcere & declarare audeamus. Atque ſane tot ſæculis nemo deprehendit illas urbes, quibus DEVS ſalis officinas elargitus eſt, quales Germania noſtra complures habet, ulla re inſalubriores eſſe aliis, & perpetuis quibusdam ac propriis morbis ſubjacere: ſed morbos ſuos epidemios, ex cauſis communibus in aëre ſubſiſtentibus, æque ut aliæ ſalinis carentes, aliquando experiuntur: ſporadicos autem ex victus potiſſimum vitio, aliisque procatarcticis cauſis, propullulantes, perinde ut aliis in locis fieri aſſolet, incurrunt: atque non minus longævi & & bene valentes homines circa ſalinas, quam alibi, inveniuntur.

§. XIIII.

Progredimur itaque ad alia, quæ in vitæ genere, quod ſalis coctores habent, valetudini ipſorum noxam minitari aliquam videri poſſent. Vidimus aliquorum labores, eorum ſcilicet qui proprie ſalem excoquunt, in caſis clauſis peragi, in quibus totis diebus ac noctibus permanendum eſt. Ab hoc labore duo ſunt inſeparabilia accidentia, calor nimirum et humiditas; quibus tertium accedit, diutius ſtandi neceſſitas. De quibus nunc ordine, ſed paucis diſpiciemus. Calorem exceſſivum, & diutius toti corpori allapſum, humores totius corporis immodice attenuare ac raros facere,

dumque

dumque pororum hiatus latiores reddit, inconſpicuas difflationes nimis augere, hoc autem ipſo particulas ſanguinis ſubtiliores, quæ virium effectrices ac motuum opifices ſunt, plus juſto eliminare, gelatinoſas, quæ in corporis alimentum cedunt, reſolvere, diſſipare, adeoque magnam inducere debilitatem, Exc. FRID. HOFFMANNVS *med. rational. ſyſtem. tom. I.* p. 337. edocet. Calori accedit humiditas, quæ a ſalſugine in cortina fervente exhalat, neque modica eſt; quum in Germania noſtra, quantum conſtat, ea ſalſugo, quæ ſat dives habetur, in libra una ſalis tres uncias & duas drachmas habeat: quare, ſi calculum ſubducas, apparebit, ſalis coctorem, antequam ducentas libras paret, quod fere opus eſt quatuor horarum, ſeptingentas & fere quinquaginta aquæ libras in vapores redigere & in auras diſſipare debere; quando autem opus per diem noctemque continuatur, ex unica caſa quadraginta & quinque centenarios in ſublime aſcendere & corpus ſalis coctoris, in ſcamno ad cortinam adſtantis, prætervolare.

§. XV.

Si igitur calor per ſe humores exagitat & ad diſſipandam fluidiſſimam eorum partem multum confert: longe magis id faciet calor humiditati junctus. Jam diu HIPPOCRATES noſter de auſtrina conſtitutione, i. e. calida & humida, edixit, quod *corpora diſſolvat & humectet*, *Aphor. Sect.* III. 17. quod aliquanto clarius ediſſerit ſæpe laudatus HOFFMANNVS *l. c. p. 87.* in hunc modum: *Quo magis calor & humiditas intenditur, eo tumidior fit corporis habitus, pori ac tubuli cutis magis expanduntur, vaſorum ſanguiferorum tenuiſſimæ ramificationes in conſpectum veniunt, a nimia etiam interna ſanguinis expanſione humor copioſe per poros extruditur.* Idemque docere nos balneorum Germaniæ conſtructio & uſus poteſt: quippe

quippe non ſoli calori permittitur, ut ſudores evocentur: ſed igniti lapides ex fornace extracti aqua perfunduntur, ut vapor inde exſurgens corpora attingat: quo facto ſudores, etiam ex illis, qui non facillime ſudant, copioſe erumpere incipiunt.

§. XVI.

Quo vero minus gravia hæc corporibus eorum & intolerabilia evadant; aliqua ſunt ſaliscoctoribus adminicula, quæ ſine dubio experientia edocti tenent: aliqua ad rei ipſius, quam tractant, naturam pertinent; aliquibus demum conſuetudo & viciſſitudo medetur. Atque primo quidem conſiderandum eſt, quod calorem illum nudo fere cetera corpore, capite tantum ſtramineo pileolo, femoribus autem lineo ſubligaculo tectis, ſuſtineant. Quantum autem minus ſudent illi, qui nudo ſunt corpore, aut leviſſime tecto, aliis, qui veſtimentis & ſtragulis involuti & obruti ſunt, plebeji homines, ut meſſores, fabri lignarii, aliique ad liberum aërem æſtate laborantes, probe norunt, qui, abjectis plerisque veſtimentis, labori longiſſime perferendo ſufficiunt: non abjectis illis ſudore diffluere & viribus exſolvi ſatis cito ſolent. Deinde ita etiam cautum eſt huic negotio, ut vapores ex cortina aſcendentes recta ſurſum evolent, & ad tecti faſtigium emittantur, minime vero per totam caſam libere evagandi locum habeant: quare coctori prima quidem hora, quando ſalſugo nondum fervet & ſpumam ejicit, modo a ſcamno vel gradu deſcendat, vaporem illum tantiſper evitare licet, ut moti in corpore ſuo fluctus interea componantur. Similiter poſt ſpumam remotam, dum granulari ſalſugo incipit, ſubinde recedere a cortina & reſpirare licet: donec tandem ſub finem decoctionis ſalem jam concretum eximere opus eſt: quod continuo labore peragi debet, ſed igne jam minimo opus habet; ſic ut vapores non calidiſſimi aſcendere poſſint.

§. XVII.

Quod de ipſius rei, quam ſalis coctores tractant, natura, ad ſudorem nimium cohibendum apta, meditatus ſum, non niſi timide proferam, atque aliis rerum uſu ſubactis dijudicandum permittam. Scilicet ex doctrina ſalium primo ſuppono, vix fieri poſſe ſalis decoctionem, quin aliquæ ejus portiones, ſimul cum vaporibus, in auram abripiantur. Et de facto certum eſt, quod qui nimis fortiter, vel ſalis communis vel nitri ſolutionem decoquendo inſpiſſant, multum de pondere ejus amittant: ipſa ſcilicet ſubſtantia ſalium, non ſpiritu, quod ſupra jam negavimus, in auras migrante. Iſtiusmodi itaque ſal, cum vaporibus aqueis ſolutus, omnino aſcendit, & corporibus proximis allabitur, adeoque ad promte agendum aptiſſimus eſt. Quoniam vero ſalis coctoris obvium ſibi corpus, ſicut §. XV. expoſuimus, quoad externum habitum tumidius, poros ac tubulos cutis magis expanſos, & humores ad exhalationem paratos invenit: ipſis jam poris ſeſe inſinuando, iisque inhærendo, iter exhalaturis humiditatibus tenuioribus quodammodo obſtruit, dum pungente & vellicante ſua indole fibras cutis tenerrimas ad conſtrictionem ſtimulat. Atque hanc ſalis virtutem jam diu novit DIOSCORIDES, qui, ubi ſalis polychreſtas vires exponit, primo loco collocat τὴν ϛυπτικὴν, *adſtrictoriam*, quæ ſane de interno uſu intelligi neutiquam vel debet vel poteſt, quum certum ſit, quod intra corpus adſumtum ſal commune minime adſtringat, ſed omnia potius excretoria ſtimulet & aperiat.

§. XVIII.

Diximus ſupra conſuetudinem etiam & viciſſitudinem eo valere, ne ſalis coctores nimium ex ſudando celeriter virium jacturam faciant. Et conſuetudinis magna vis, ut in

aliis

aliis quidem multis elucet, ita ſeorſim circa ſudorem jam olim obſervata & commendata legitur: hodieque clare conſpicitur, ſi quis velit attendere. LVCIANVS libello *de gymnaſiis*, Solonem Athenienſem, & Anacharſin Scytham, de nonnullis Græcorum moribus confabulantes introducit, ibique ſeorſim illud egregie oſtendit, quam diverſo modo ad ſudorem utraque natio ſeſe habeat: quippe Græcus homo, nudo capite toto die ad ferventem ſolem verſans, non ſudabat: Scytha, etſi pileo tectus & umbraculo ſibi conſulens, tantum non ſudore diffluebat. Illud vero habebant Græci a conſuetudine, quippe pueri & adoleſcentes ipſorum adſueſcebant nudo corpore, tam hyeme quam æſtate, ſolem & frigus perferre. Hodieque Europæi noſtri, ad utramque Indiam delati, mirantur indigenas caloris intenſiſſimi tolerantes, vix ſudoris veſtigio apparente: ubi noſtri, homines, omnibus adhibitis, quæ modo excogitari poſſunt, præſidiis, vix non diffluunt ſudoribus. Credibile itaque eſt ſalis coctorem, etiamſi calore humido circumfuſum, minus ſudare, quam alius, non æque adſuetus, ſudaturus eſſet, ſi illius loco ſtaret: & forte alium non adſuetum minus ſudoris profuſurum eſſe, ſi ex ſalſugine adſcendentes vapores corpore ſuo admitteret, quam ſi tantundem calidorum vaporum, ex ſimplici aqua halantium, circumfuſos ſuſtineret.

§. XVIIII.

Denique viciſſitudinem ſupra attigimus, quantum ſcilicet eo pertinet, ut ſalis coctor fervente opere ſeſe ſubtrahere aliquando vaporibus poſſit, eodemque ſudandi neceſſitatem minuere. Ejus quidem aliqua vis jam percipitur, dum labor ſingularum ſeptimanarum decurrit: ſed maximus fructus ad eos redundat, ſi, penſo abſoluto, integris aliquot diebus, quin hebdomadibus, ferias interponere, & corpus curare,

 inque

inque locum evacuatorum per nimiam tranſpirationem humorum, alios recentes ingerere & colligere licet. Atque in eo plerique tam bene genio indulgent, ut calcaribus vix indigeant: quamvis & excuſationem mereantur, ſi plus forte, quam alii ferre poſſent, aſſumere videantur. Ea enim firma lex eſt doctrinæ ὑγιεινῆς, ut valetudinem ſuam viresque conſervaturus, tantum ac tale, quantum ac quale corpori deceſſit, reſtituere per aſſumta congrua, quietisque juſta tempora interpoſita, memor vivat. Quumque fluida potiſſimum ſint, quæ exhalant, immo fluidorum corporis animalis fluidiſſima: conſentaneum eſt fluidorum reparationi ſtudendum apud illos eſſe.

§. XX.

Ceterum ex illa perpetua viciſſitudine evacuandi & imminuendi humores per ſtatum tempus, deinde interquieſcendi, & iterum replendi, tandem habitus quidam conſuetudinalis apud eos enaſcitur: prorſus, ut natura eorum vix aliam eliminandi ſuperflua vel noxia viam, præterquam illam per corporis peripheriam, quærat & exſpectet: unde fit ut raro morbis ſuccumbant, niſi ubi evacuatio peripherica inſigniter, & præter morem, ſuppreſſa eſt: nullaque naturæ illorum magis conveniat medendi methodus, quam quæ diapnoen expedit: contra vero inimicum naturæ ipſorum cenſeri debeat, quicquid eam magis ſufflaminat, & ad diverſa evacuationis loca invitat vel omnino cogit. Quare in medendo huic hominum generi maxime memori mente tenendum eſt, quod medicorum parens HIPPOCRATES præcipit *Aph. Sect.* I, 21. *quæ ducere oportet, quo maxime vergunt, eo ducere oportet, per convenientes locos.* Convenire itaque illis, quando male habere & languere incipiunt, talia maxime exiſtimo, quæ, absque eo, ut ſanguinem æſtuare faciant, ad periphericam humo-

humorum ventilationem corpora apta reddunt, eamque facilitant. Atque ex eodem fundamento apparet, liquidoque cognoſcitur, talia corpora, ſi ſemel a tramite adſuetarum evacuationum longius diſceſſerint, aut omnino, vitæ mutato genere, alienati fuerint, illis morbis, quorum initia cachexiæ nomine inſignimus, aut, ex veteri conſuetudine loquendi, intemperiei humidæ & frigidæ tribuimus, potiſſimum patere: deinde vero etiam catarrhalibus & rheumaticis moleſtiis idoneos eſſe.

§. XXI.

Supra §. XIIII. illud etiam incommodum, a ſalis coctorum vitæ genere inſeparabile, annotavimus, quod illis diutius ſtandi neceſſitas incumbat. Ea non ſola eſt, ſed, ut ex ſuperioribus intelligi potuit, conjuncta cum aliis binis incommodis, quæ, ſolidorum tonum relaxando, fluidorum autem partem ſubtiliſſimam expellendo, vires imminuunt. Atque, ſub talibus conditionibus, ſtatarium vitæ genus corpus magis affligere neceſſe eſt, quam ubi talia abſunt. Ita autem ſtare debent, ut, immotis diu manentibus pedibus, ſuperiores partes moveantur: quo fit, ut ſanguinis venoſi a pedibus refluus motus, ob aſcenſum perpendicularem per ſe jam difficilis, magis difficilis reddatur illa muſculorum pedis extenſorum, quæ in ſtantibus præcipue requiritur, actione in eodem ſemper ſtatu & gradu permanente, nec grata alternatione ſubinde mutata. Atque ex hoc fundamento fluit, quod, annotante laudato RAMAZZINO *l. c. cap. 32.* in ejusmodi hominibus varicoſæ venarum diſtenſiones & repletiones frequentius, quam in aliis, obtingere ſolent. Atque ab his etiam illos, qui ſalis coctioni vacant, non omnino immunes manere, inquirendo cognovi: etſi hic affectus, apud nos in genere rarior, etiam inter illos haud frequentiſſimus reperitur.

§. XXII.

Perluſtravimus vitæ genus illorum, qui ſtricto jure ſalis coctores dici merentur: quidque in illo ad valetudinem vel ſecundam vel adverſam faciat, conſideravimus. Nunc ſe meditatio noſtra ad iſtos convertit, de quibus §. VII. dicebamus, qui extra caſas, ſeu officinas ſalinatorias, aliquos labores peragunt, quibus in toto hoc opere careri nequit. Horum plerisque humiditas frigida circumſtat: quæ, ut iterum verbis Illuſtris HOFFMANNI *c. l. p. 339.* utar, *corpori univerſo languorem inducit, humores accumulat, fibras motrices nimis laxat & reſolvit, adeoque omnibus, quæ pro ſanitate ſunt, excretionibus obicem ponit: ex quo ſumma ejus inſalubritas nemini non eſſe poteſt perſpicua.* Quo vero minus hi homines ab ejusmodi aëre lædantur, efficaciſſime præſtat motus corporis laborioſus, quem ſub illo aëre peragunt, qui languidiorem ſanguinis circuitum ſatis apud eos excitat, & cutaneas exhalationes adjuvat. Atque ne ab illo magnopere lædantur labore, illud maxime facit, quod ſtatis horis, quemadmodum ad eum vocati accedunt, ita ab eo remittuntur, ut interquieſcendi ſatis longa ſpatia habeant. Quumque de reliquo illorum vitæ genus parum habeat, quod non aliis etiam, laborioſo vitæ genere victum requirentibus, æque adſit: nolumus illis longius hic immorari.

§. XXIII.

Coronidis tandem loco paulo accuratius conſiderabimus nobilem quæſtionem, an non ſalis coctura homines, qui extra caſas ſalinatorias degunt, lædere poſſit, & urbem univerſam inſalubriorem reddere? Qui affirmant, illud potiſſimum urgent, quod §. XIV. attigimus, inſignem ſcilicet copiam humiditatis, quæ ex officinis illis aëri immittitur.

Nam

Nam ſi ex unica cortina intra nychthemeron quadraginta & quinque centenarii aquæ in vapores reſolvuntur : & uno die centum cortinis ſal decoquatur ; quod certe aliquibus Germaniæ locis fieri indubium eſt : parum abeſt, quin ſingulis horis ducenti centenarii vaporum aqueorum ex ſalſugine atmoſphæram illius urbis ſubeant. Quumque fieri non poſſit, ut non, ubi multus ignis alendus eſt, ex fumo a lignis crematis, aut carbonum foſſilium, qui alicubi adhibentur, vapore, illæ exhalationes multum augeantur : facile intelligitur de puritate aëris in illa urbe parum promitti poſſe. Et ſane ſi quis urbem iſtiusmodi a longinquo adſpiciat, fumi vaporumque copiam, quæ ab illa exſurgit, non mirari non poteſt. Iſtique vapores diutius ſane urbi iſti incumbent, quo profundiorem illa in convalli aliqua ſitum nacta eſt, ut ventis minus ſit perflabilis.

§. XXIIII.

Hæc ſunt, quæ urgentur ad inſalubritatem iſtiusmodi urbium, ubi ſalis officinæ ſunt, aut comprobandam aut exaggerandam. Enimvero jam ſupra adduximus, neminem inventum eſſe, qui auſus fuerit ullum morbum endemium indicare, urbibus & locis illis, ubi ſal decoquitur, proprium, & ita proprium, ut in omnibus reliquis, quæ ſalinis gaudent, inveniatur. Idque, puto, argumentum generalem accuſationem, aut ſuſpicionem, ſatis potenter refellit. Novi aliquos, illo tempore, quo in Germania ſcorbutus primum audiebatur, urbes, ubi ſalis officinæ ſunt, ſuſpectas ſcorbuti præ reliquis reddidiſſe. Sed querelæ illæ de novo morbo non minus aliis locis, illis etiam ubi ſereniſſimus aër ob poſitum liberiorem & altiorem indulgetur, exaudiebantur & litterarum monumentis tradebantur. Communi traditione fertur, aliquam Saxoniæ urbem ſalinatoriam phthiſin habere endemiam, atque advenas

eadem

eadem labe inficere: ſed, ſi illa urbs endemium quaſi morbum vere habet, quod neutiquam credo; & ſi habet ex ſalinarum culpa, cur non aliæ urbes, ſalis officinas habentes, eadem calamitate premuntur. Nam unius veræ cauſæ unus eſt & idem effectus, ubicunque locorum agat. Maneo itaque in aſſertione, quod ab experientia nondum probatum ſit urbes illas, quæ ſalem excoquunt, inſalubriores eſſe, quam ſunt aliæ illo beneficio deſtitutæ.

§. XXV.

Ut vero formidabile illud argumentum, de vaporum incumbentium inſigni copia, propius intueamur, non deſunt, quæ ad metum iſtum eximendum reponi poſſunt. Ac primo quidem certum eſt, & ſenſuum teſtimonio comprobatum, quod vapores ordinarie quidem in ſublime ferantur, & ſupra illam regionem, quam homines incolunt, vagentur, ibi autem non diu ſubſiſtant, ſed a vento, qui aëream regionem pererrat, auferantur. Atque ſic fit, ut urbes illæ, quæ ſal vicinis excoquunt, vaporibus iſtis quam minime infeſtentur, ſed ventis & auræ permittant, quo velint eos devehere. Si dies nebuloſi ſunt, & aër undiquaque vaporibus repletus incubat, quales in anno pauciſſimi eſſe ſolent: tales urbes vapores à ſe demiſſos æque retinent, ac aliæ quæcunque pati debent, ut ſibi tantiſper ſuæ exhalationes incumbant, donec exſurgens ventus eas diſſipet, aut ſolis radii prævalentes ſerenitatem reddant. Id quidem valetudini non congruere concedimus, ſed in communi nebuloſitate, urbes, quæ ſalinas fovent, ab aliis non differunt, niſi quod forte majorem vaporum copiam ſibi incumbentem ſentiunt: iſtudque ex medicinæ præceptis ſolatium eſt, quod unica cauſa procatarctica morbum, ad quem diſponit, non illico etiam & neceſſario inducat.

§. XXVI.

§. XXVI.

Deinde vapores illi, qui ab officinis ſalinatoriis in ſublime feruntur, non ſunt aquarum corruptarum vel putridarum, quales a paludibus exhalant, quasque nocentiſſimas eſſe ὁ πάνυ LANCISIVS ſolide oſtendit: ſed benigni ſunt, puræ aquæ, & inſuper alterati acidulo ſpiritu, prorſus Bezoardico. Nam ſive ligna ad decoquendam ſalſuginem adhibeantur, ſive carbones foſſiles, id humidum, quod exhalat, & fumi nomine venit, ſeque vaporibus aqueis interponit & admiſcet, indolis eſt acidulae, ad ſpiritum tartari accedens, qui eſt ex ingredientibus illius polychreſtæ & celeberrimæ medicinæ, quæ *ſpiritus de tribus*, aut *mixturæ ſimplicis*, nomine venit, & adhuc locum ſuum inter medicamenta antifebrilia & anticatarrhalia, cum digno effectu, tuetur. Tandem etiam non injuria dixeris, in ipſa conſtitutione epidemica urbi aliunde inducta, (ut variæ eſſe cauſæ ſolent, quæ lues iſtiusmodi locis omnibus, etiam a ſalinis remotiſſimis, invehere poſſunt,) ſalutariter accidere, ſi vapores craſſiores aliquando humi deſideant & miaſmata illa tenuioris indolis intra ſe recipiant, ac deinde una ſecum auferant. Peſtilentiæ arcendæ cauſa veteres medici dicuntur ſuaſiſſe, ut rogi paſſim in urbe accenderentur: profecto non tam illa ſpe, quo igne, qua calidiſſimus eſt, aër emendaretur: ſed ut fumo ab igne inſeparabili halituoſarum impuritatum pars involuta abduceretur, & ſuccedentis purioris aëris impulſu reliquæ promoverentur & ad diſcedendum impellerentur. Eodem tetendit illorum conſilium, haud ſane adſpernandum, qui vino vel aceto ædes & plateas conſpergere juſſerunt: præviderunt enim fore ut in libero aëre diſſipatæ illæ particulæ expanſivæ & mobiles, ſimul ac calorem ſenſerint, ſeſe expanſuræ & in ſublime adſcenſuræ ſint: confiſique ſunt fore ut ſimul ſecum

miaſmatum peſtilentium, urbi incumbentium, partem haud modicam ſucceſſive auferant.

§. XXVII.

Poſſem plura hic addere de fallaciis, quas logici vocant, cauſæ non cauſæ, quæ ſæpius in deſcribenda & judicanda urbium quarundam ſalubritate vel inſalubritate committuntur: neque minus in negotii alicujus ſingularis æſtimatione nonnumquam produntur ab illis, qui nativas qualitates ab adventitiis non ſatis caute disjungunt: ſed ob temporis, quod mihi præfixum eſt, brevitatem, his nunc ſuperſedendum eſt. Rogo autem Benevolum Lectorem velit primis conatibus hiſce veniam indulgere. Si DEVS ætatem & vires benigne conceſſerit: forte hæc amplius a me diducta, & experientiæ propriæ robore confirmata, in publicum prodibunt.

FINIS.

Efficit

EFficit expertum Medicum ſi gratia gratum,
Artibus in variis Tu quoque gratus eris.
Sal juvat & Medicum, mordax licet arte probatur;
Com̃endant Medicum docti ubicunque Sales.
Sic ſemper virtutis iter Tibi grata revelet;
Difficilem reddat nulla ſalebra viam!

B. O. E. F.

JOHANNES JACOBVS JANTKE, D. P. P.
Sereniſſimi Ducis Solisbaco - Palatini Conſiliarius
& Archiater; Univerſitatis h. t. Rector.

QUum Sale *ſit* nihil utilius, *labor utilis hic eſt*,
Coctorum Salis *ut ſe* valetudo *habeat*,
Scrutari, & quibus auxiliis ſit rite tuenda:
Hic labor, HEZELI, *gratus erit Patriæ!*

Honoris & boni ominis cauſa
p.

JO. JAC. BAIERUS.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

IO. HENR. SCHVLZE,

MED. D. ET H. T. FACVLTATIS MEDICAE DECANVS.

ADmodum mihi placuit inſtitutum Tvvm, quo de morbis ſalis coctorum inaugurali ſpecimine hoc commentari aliquid voluiſti. Argumentum elegiſti minime detritum. Nam quum de morbis metallicolarum multi ſcripſerint; neque reprehenſum ſit, quod de eadem re plures ſententiam protulerint: nemo vitio vertet, quod de horum hominum, qui longe communioris, ſaltem magis ad vitam neceſſarii, boni copiam nobis faciunt, ſalute et valetudine ſollicitum Te oſtendiſti. Patriae inſuper, cujus amor optimo cuique praecipuus eſſe debet, amantiſſimum Te probauiſti iſta lucubratione: qua eo magis opus videbatur, quia Ramazzini libellus non ſolum latine crebro legitur, ſed in vernaculum etiam ſermonem ante complures annos conuerſus, a lippis nunc et tonſoribus euoluitur: omninoque verendum erat, ut, quae ibi de ſalinatorio negotio leguntur, male intellecta, aut pro certiſſimis accepta, innocentem urbem macula aliqua deteriori immerito notarent. Quod ſupereſt, Te rogo et obteſtor, ut in patriam Tvam redux, (quod, ut gaudio parentum Tvorvm feliciter contingat, precor,) memor promiſſi viuas, deque fontibus Veſtris, totaque ſalem excoquendi ratione, et reliquis, quae eo pertinent, elaboratiſſimum et omnibus numeris perfectum ſcriptum aliquando emittas. Vale et rem feliciter age.

Altorfii a. d. II. Maii CIↃ IↃ CCXXXI.

QUæ Tibi ſit mentis præſtantia, quæque labore
Ars quæſita Tibi, ſcripta vel ora docent.
Pergito, AMICE, Tuis ſtudiis jam rite parata
Sunt, quæ mox ornent, nava brabia, caput.

Ita Prænobiliſſimo Clariſſimoque Dn. CANDIDATO, *Fautori & Amico ſuo perdilecto, de Honoribus diu promeritis ex animo gratulatur*

JOH. JAC. KIRSTEN, Altorffinus, Med. Studioſ. Opponens.

DIe Güte von dem Saltz / zeigſt Du mit viel Verſtand /
Und mach'ſt uns auch davon / den Schaden wohl bekandt.
Wie aber kanſt Du uns / was ſchlimmes wohl beſchreiben?
Da doch das / was Du ſchreibſt / gut iſt / und muß gut bleiben.

Mit dieſen wenigen Zeilen wolte ſich dem Herrn DOCTORANDO beſtermaſſen recommendiren

JOH. CASPAR HEUMANN, Breg. Sileſ. Medic. Stud. Opponens.

 Hæcce

Haecce dies ſale Te conditum monſtras Amice
Doctrinae, coctum mente, nec ignis ope;
Hinc Tibi Hygaea diu meritos decernit honores
Cum Tua det doctos de Sale lingua ſales
Fauſta ſit ergo dies, qua menſa vile ſalinum
Exulat, et ſalias ebria menſa dapes
Dat, ſit fauſta dies, qua nobilis arte Machaon
Optatam menſam praebet honorum et opum.

Sic clariſſimo atque doctiſſimo
Domino Candidato,
Amico ſuo longe aeſtumatiſſimo,
gratulatur

WOLFGANGVS GEORGIVS PARROT,
Med. Stud. Moeno-Francofurtenſis
Opp.

Vix alma Aonidum Saalana ſede relicta
Fauſta Palæcomes tangebam limina greſſu;
Lætifico plauſu complebant æthera Muſæ.
Hicce diu dubius reſonent cur tecta ſonoro
Murmure, quidque velit tanto ſonuiſſe Camoenae
Carmine feſtivo, donec pia vota prehendens,
Comperiens tandem Tibi *digna brabea parari,*
Quæ Hygiea cupit natis conferre Galeni;
Ipſe ego Pieridum miſcerem carmina plauſu,
Mirarerque hilares Tua de ſale cum ſale dicta,
Heu! quos lætitiæ ſenſi ſub pectore motus?
Quanta Tuae *dederat calamus præconia laudis?*

Quæ jamdum taceo, quia ſat Tva *dicta loquuntur,*
Et jam vota paro, quæ toto pectore manant.
Adſit Jova Tibi, *qui porro coepta ſecundet:*
Utque ſolo Patrio benedixit fonte ſalino;
Sic ponat Patriæ commune bonumque decusque
Te, *ſic integrum erit, quod erat modo vulnus amarum*
Atque novi meritos mox ſponte ſequentur honores.

Hisce paucis Prænobiliſſimo Clariſſimoque
Domino Licentiato, Cognato et
Amico ſuo æſtumatiſſimo, de ac-
quiſitis omnium cum applauſu ſum-
mis in arte Medica honoribus
cum prolixo animi affectu congra-
tulatur

DAV. WILHELMVS HEZEL,
SS. Theol. Stud. Hala - Suevus.

EN ſale blanda fluit facundia condita docto,
Cum victor ſtudiis præmia nacta refers;
Jure igitur poſſum tua dicere corda ſalinas,
Quas ſale doctrinæ ſat cumulata precor.

Hæc pauca Prænobiliſſimo Doctiſſimoque
Domino Licentiato *de ſummis*
nunc acquiſitis honoribus ex animo
congratulans appoſuit

CAROLVS CHRISTOPH. OELHAFEN
de Schoellenbach.

Dulcem

DUlcem per paſſus rapidos acquirere metam,
Horrea per ſegetes larga parare juvat:
His et jam gaude ſertis, quæ digna labore
Nunquam defeſſo nexit Hygea TIBI.

His paucis Prænobiliſſimo Doctiſſimoque DOMINO LICENTIATO omnigenam apprecatur felicitatem, et favoris amicitiaeque honorem ſemper conſervandum ſibi expetit

JACOBVS CHRISTOPHORVS OELHAFEN
de Schoellenbach.

